

spirationem : ergo prout sic non explicat rationem universalis principii, et fontalis plenitudinis ad omnes Personas : ergo etiam inadæquate concepta paternitas, et in illo signo antequam generet, non concipitur ut prima Persona, et ut formalis plenitudo per modum principii universalis : si enim id haberet pro illo inadæquato signo, utique pro alio signo posteriori in quo adæquate concipitur, id non amitteret.

XV. Denique, tertia pars conclusionis supra positæ, scilicet quod positivum directum hujus notionis sit Persona Patris, ut in genere personali existens a se probatur, quia eodem modo concipimus constitui primum principium personale inter Personas, quo primum principium, et primum ens inter naturas : utrobique enim primum principium datur; ibi Personarum præcise, hic naturarum, et entium. Constituitur autem Deus in ratione primi principii entitativi per hoc quod sit ens, et natura a nullo alio ente existens, quæ est negatio formaliter importata in nomine primi principii, et quod sit existens a se quod pertinet ad positivum connotatum. Ergo similiter constituetur in divinis primum principium personale, seu in linea, et genere divinarum Personarum, per hoc quod de formali sit Persona, non ab alio principio, et de materiali, seu pro fundamento sit existens notionaliter, id est, in ratione principii notionalis a se.

Et confirmatur, quia his duobus positis, et omni alia formalitate, et ratione cessante, manet illa Persona prima, et ingenua. Ad rationem enim ingeniti, et primi non attenditur per se, quod alia sint ab ipso, et consequenter quod sit fons, et principium aliorum, quia iste respectus pertinet ad rationem princi-

prii ut influens in alia, quæ ex se derivantur, non autem ut in se primum sit, quod est per negationem anterioris a quo derivetur existendo in se, et a se. Et præterea esse fontem, et principium aliorum, licet dici possit primum per hoc quod sit principium omnium præter se nullo excepto, tamen hoc magis est explicare rationem primi principii præsuppositive, vel consecutive, quam formaliter, quia scilicet non stat esse principium omnium præter se, nisi excludendo quod non sit ab alio, eo quod non restat aliud a quo sit : propter hoc ergo, quia infertur hoc non esse ab alio, ex eo quod sit omnium principium, deducitur quod sit primum : formaliter ergo, et magis per se est in ratione primi seu ingeniti non esse ab alio, quam alia omnia esse ab ipso.

XVI. Et si inquiras : Hoc positivum, quod est esse a se notionaliter quod connotatur directe in ly ingenitum, cui notioni relativæ per se primo pertinet, paternitati an spirationi activæ : nam etiam spiratio ista ab alio non est, nec ab alio convenit Patri, respondetur convenire illud positivum perse primo paternitati : tum quia paternitas non solum est notio, sed est proprietas, quia soli primæ Personæ convenit tamquam positiva relatio : spiratio autem convenit etiam Filio, estque illi communicabilis, et cum Filius sit Persona ab alio, consequenter spiratio, ut conveniens Personæ ab alio, et non pure sistens in Persona a se, videtur minuere rationem primi in toto rigore. Tum etiam quia paternitas constituit Personam, non spiratio activa, et sic spiratio activa convenit illi tamquam principio quod radicaliter opposito Spiritui sancto est : ergo paternitas ut primum, et a se existens in linea personali, et per modum Personæ primæ, spiratio autem non ut Persona

nec ut prima Persona existens, sed ut quid adjectum seu adveniens existenti, et subsistenti, consideratur. Et fortasse propter hoc patres appellant Patrem fontem Trinitatis, et fontalem deitatem, quia paternitas ipsa est primum existens a se unde derivantur aliæ Personæ, Filius per paternitatem formaliter, Spiritus sanctus per spirationem formaliter, et per paternitatem radicaliter : unde esse fontem Trinitatis non est specialis notio, sed in paternitate, quatenus primum principium est, imbibitur. Notio autem ingeniti non dicit fontaliter per modum principii, sed negationem ab alio in Persona existente a se.

XVII. Ex quibus sequitur quo modo intelligendus sit S. Thomas in hac quæstione xxxiii, art. iv ad ii, in assignando positivo incluso in ratione ingeniti. Nam dicit duo : primum, quod si ratio ingeniti sumatur pro negatione geniti, seu generati (loquendo de generatione stricte) sic etiam convenit Spiritui sancto nec est propria Patri, nisi in nomine ingeniti intelligatur Persona quæ sit principium alterius Personæ : sic enim non convenit Spiritui sancto, quia non est principium alterius Personæ, et convenit Patri, quia ab ipso est alia Persona, et ipse non est genitus. Secundum est, quod si sumatur ingenitum pro negatione omnis processionis, et non solum generationis, sic convenit soli Patri, non Spiritui sancto, quia est Persona subsistens ab alio, nec essentialitæ divinæ, quæ prout in Filio, et Spiritu sancto est communicata ab alio. Dixerat autem solutione ad primum, quod ingenitum non importat rationem principii seu fontalis plenitudinis, sed importat negationem generationis passivæ, qui ly ingenitum tantum valet quantum non Filius, et sic est propria notio Patris. Cæterum hæc facile concii-

liantur, quia in solutione ad primum S. Thomas explicavit ly ingenitum ex parte formalis significati, ut restringitur ad standum pro negatione geniti, seu generationis Filii præcise : importat enim de formali negationem geniti. Addidit autem in solutione ad secundum, quod hoc non sufficit ad hoc ut sit propria notio Patris, nisi intelligatur talis negatio filiationis, seu generationis passivæ ut conveniens Personæ producenti quæ est principium aliarum : sic enim nec Spiritui sancto convenit, neque Filio : sed tamen hoc exigitur in illa negatione generationis tamquam conditio requisita ut sit propria notio Patris, quia si sumatur sine tali subjecto, scilicet sine Persona, quæ est principium aliarum, in tali enim Persona, negatio illa non procedendi per generationem peculiaris notio est, nec convenit Spiritui sancto cum non sit principium productivum. Negat autem in solutione ad primum notionem illam ingeniti importare illam rationem principii aliorum, quasi directe significatam in nomine ingeniti, non ut conditionem requisitam : hæc enim directe non significatur ab ingenito. Addit denique solutione ad secundum, quod si significatum de ly ingenitum est negatio non solum generationis, sed omnis processionis, sic est notio Patris, et propria ejus. Non designat autem D. Thomas illud positivum quod tale nomen directe, et pro fundamento significet, sed facile colligitur esse ipsam primam Personam Patris quatenus a se existens, et ut habens vitam in semetipso : sic enim ex tali formalitate immediate consequitur, et fundatur negatio omnis processionis ab alio, sicut ex eo quod aliquid positive rationale sit, consequitur negatio irrationalis, et bruti : illud enim pro positivo fundamento alicujus negationis ponentur.

dum est, quod immediatam et per se connexionem habet cum tali negatione. Quod autem immediate, et per se connectitur cum negatione omnis processionis ab alio, est esse positivum quod habetur a se, seu existens, et vivens a se notionaliter seu personaliter.

XVIII. Sed objicies: Notio ingeni non sufficienter explicatur in suo formali conceptu per solam negationem procedendi ab alio; tum quia non esse ab alio, ut sic, etiam convenit essentiæ; tum quia negatio, prout talis, non explicat dignitatem, et auctoritatem aliquam, quia de se nihil est: et sic etiam ipsum nihil, et creaturæ mere possibles non sunt ab alio, per hoc tamen non dignificantur in aliquo: ergo requiritur ad formalem conceptum notionis includere præter negationem aliquid positivum. Rursus illud positivum non potest esse absolutum, et essentialiale, quia hoc commune est omnibus Personis, non peculiaris nota, et character alicujus, nec iterum ipsa ratio ingeni, de qua loquimur in præsentem pertinet ad reddendam ingentiam ipsam essentialiam in ratione essentiæ, et naturæ, sed ad reddendam ingentiam Personam in ratione subsistentiæ, et Personæ: ergo ad hoc impertinens est positivum absolutum, sed necesse est recurrere ad relativum. Hoc autem relativum non est conceptus paternitatis, neque ut expressus, et exercite respiciens Filium, quod est adæquate concipere paternitatem, neque ut præcise dicens rationem subsistentiæ, et personalitatis primæ, seu relationis illius ut subsistentis, ante exercitium generandi, et respiciendi Filium quod est inadæquate concipere paternitatem. Nam quomodocumque concipiatur paternitas est distincta notio a ratione ingeni: ergo per hoc quod includat paternitatem, ut est determinata, et indivi-

dua quædam relatio, non redditur ly ingentium distincta notio: vel enim includit conceptum paternitatis solum quantum ad rationem communem, et genericam principii, prout communis est paternitati, et spirationi, vel quantum ad particularem paternitatis, licet non sub exercitio respiciendi, et tangendi Filium, sed sub formalitate subsistenti in se. Primo modo non constituit notionem distinctam, et particularem ly ingentium, sed solum conjungitur rationi genericæ, et communi, duarum notionum paternitatis, et spirationis, ac per hoc imbibitur in paternitate, et spiratione non ab illis distinguitur ut S. Thomas urget in articulo iv ad 1, qu. xxxiii. Secundo modo, idem inconveniens sequitur, quia non constituit ingentium distinctam notionem a paternitate, sed erit paternitas inadæquate sumpta, id est, paternitas ut subsistens, et sub conceptu subsistentis; et sic notio ingeni erit paternitas ut subsistens, notio vero paternitatis est eadem ut respiciens, seu ut exercens respectum ad Filium, quod est non distinguere istas notiones nisi penes inadæquatos conceptus ejusdemmet notionis, quæ est paternitas. Relinquitur ergo quod illud positivum quod importat notio ingeni non sit relativum personale paternitatis et spirationis: erit ergo relativum transcendentaliale quatenus per eandem rationem indivisibiliter tangentem Filium, et Spiritum sanctum est principium universale in Trinitate.

XIX. Confirmatur, quia non est dubium patres appellare communiter fontem, seu fontalem plenitudinem Trinitatis ipsum Patrem, ut Dionysius secundo capite de divinis nominibus; Athanasius oratione contra gregales Sabellii; Nazianzenus orat. xiii; Augustinus iv de Trinitate, c. xx;

Concilium Toletanum ii, et Eugenius iv, in Concilio Florentino, in literis, unionis; S. Thomas infra qu. xxxix, art. v ad vi. Ergo pertinet ad propriam notionem Patris esse fontem, et principium universale in Personis divinis, cum hoc ipsi soli conveniat: sed hoc non convenit ipsi ratione paternitatis, vel spirationis, quia paternitas solum est principium productivum Filii, per intellectum: nec enim alia prædicata requiruntur ad esse Patris, quam virtus generativa Filii, spiratio solum est productiva Spiritus sancti et præterea est notio communis Patri, et Filio, esse autem fontem totius Trinitatis, dicit aliquam rationem respicientem omnes Personas procedentes: ergo debet ratio fontalitatis convenire alteri notioni Patris, quæ est esse ingentium: nec enim aliæ notiones sunt in Patre nisi paternitas, quæ est ipsi propria, spiratio activa quæ Patri, et Filio est communis, et innascibilitas: si ergo esse fontem, seu fontalem plenitudinem Trinitatis est proprium Patris, et non ratione paternitatis vel spirationis, propria erit ratione innascibilitatis: ergo innascibilitas non importat solum negationem processionis, sed etiam positivum principium per modum fontalis plenitudinis. Et hoc erit relatio aliqua transcendens vel relatio rationis ad Filium, et Spiritum sanctum, quia paternitas, et spiratio esse non potest, et alias debet ista ratio ingenti seu fontali principii ipsi Personæ seu subsistentiæ Patris convenire: nam nomen primæ Personæ per innascibilitatem, et rationem ingeni patres explicant, ut Damascenus lib. i fidei, c. ix; Justinus in expositione fidei de Trinitate; Nyssenius in libro de differentia essentiæ, et hypostaseos, et alii.

XX. Respondetur notionem ingeni non explicari per negationem puram, et ab omni fundamento re-

motam, sed per negationem fundatam in aliquo positivo; sine hoc enim nullam dignitatem importat nuda illa negatio, ut recte probat argumentum. Ad instantiam vero inquirentem de hoc positivo quidnam sit, dicimus non esse prædicatum essentialiale, et pertinens ad naturam, sed notionale, et pertinens ad subsistentiam, nec est inconveniens quod eadem subsistentia, et Persona fundet plures notiones, si quidem plures illi conveniunt: ergo et plures fundantur in illa. Nec per hoc confunduntur notiones, quia non includitur una in alia formaliter, sed unaquæque sub distincta formalitate manens potest fundamentaliter, et materialiter illam includere et connotare. Cum vero instatur, quod non potest esse hoc positivum ipsa paternitas sub conceptu paternitatis, neque adæquato, et explicite respiciente Filium, neque inadæquato, et ut præcise subsistenti, dico quod est Persona Patris, non sub ratione principii influentis, aut respicientis, sive solum Filium, sive Filium, et Spiritum sanctum, neque quatenus est subsistens in ratione talis principii; sed quatenus est Persona positive fundans repugnantiam, et oppositionem omni generationi passivæ. Est enim considerandum quod Persona Patris est subsistentia quædam relativa, quæ reddit subsistentes plures rationes in ea concurrentes: reddit enim subsistentem rationem principii ut influentis in Filium, et reddit subsistentem rationem principii influentis in Spiritum sanctum, et reddit subsistentes ipsas origines, et reddit subsistentem ipsam impossibilitatem, et repugnantiam quam habet, seu incapacitatem cum passiva origine. Et sic ut subsistentia illa fundat istam incapacitatem, est positivum notionale in quo fundatur negatio ingeni; et sic importat digni-

tatem quamdam, quia est Persona cum esse fundante, non esse ab alio. Neque tunc currit consequentia D. Thomæ in solutione illa ad primum, quia ibi probat sanctus doctor notionem ingeni non includere positivum, neque in sua ratione formali, neque in suo connotato directo sub ratione principii, sive paternitatis, sive spirationis, quia cum istæ duæ sint notiones quatenus principia influentia, si ly ingeni diceret positivum per modum principii, recte infert D. Thomas, quod includeretur ingeni formaliter in aliis notionibus, quia includeretur in ipsis quatenus principia. Si vero includatur ingeni in subsistentia positiva Patris, quatenus fundat esse cum incapacitate, et oppositione ad passivam generationem, non includitur formaliter in aliis notionibus, quia aliæ non sunt notiones ut præcise subsistunt, et fundant illam incapacitatem, sed ut principia influentia, et originantia suos terminos. Unde cum infertur quod ingeni erit paternitas ut subsistens, distingo; ut subsistens relationi, et influentiæ in Filium, nego; ut subsistens negationi procedendi ab alio, et fundanti illam, concedo; et hoc modo est distincta notio ab ipsa, ut paternitas est. Unde relinquatur quod ingeni non est relatio transcendentalis per modum principii influentis ad utramque Personam procedentem indivise.

XXI. Ad confirmationem respondetur Patrem esse fontalem plenitudinem, et fontem totius Trinitatis, non per notionem ingeni, sed per notionem ipsam paternitatis secundum adæquatum conceptum sumptæ, scilicet quatenus est Persona habens a se principium generandi Filium, et spirandi Spiritum sanctum. Licet enim Filius habeat etiam principium spirandi Spiritum sanctum, tamen non habet illam a se, sed

communicatam a Patre; et sic non habet illam per modum fontis, quia non a se, sed per modum communicatæ ab alio, quod opponitur rationi fontis. Et sic esse fontem in Patre non addit novam rationem principii influentis, sed solum dicit ipsam rationem paternitatis, et spirationis quæ sunt principia influentia cum illo connotato a se: ly enim a se in utroque principio constituit fontem: fontalitas enim, et auctoritas nihil aliud significant in divinis, quam principium originis, ut dicit S. Thomas illa quæstione xxxiii, art. iv ad i, sed debet esse principium originis a se: si enim est derivatum, amittit rationem fontis, et habet se ut rivus, vel ut splendor, quo nomine significatur Filius, non propter diminutionem, sed propter derivationem, alioquin lux est de luce, et lumen de lumine, scilicet totum lumen Patris ut derivatum dicitur splendor in Verbo. Nec ly esse a se importat diversam rationem principii a paternitate, et spiratione in ratione influendi, sed modum connotationemque ejus, seu conditionem ut principia illa in Patre fons sint, et non splendor.

#### ARTICULUS II.

*Utrum Verbum divinum procedat in quarto modo per se ex cognitione omnium personarum divinarum, et creaturarum?*

I. Sensus difficultatis percipietur ex distinctione ejus quod convenit processioni Verbi in primo modo per se, et quæ in quarto modo. Ea dicuntur convenire in primo modo per se, quæ essentialiter, et intrinsece conveniunt quantum ad quidditatem, et essentialem conceptum sive identice conveniant, sive forma-

liter. Ea conveniunt in quarto modo per se, quæ conveniunt sub formali ratione conducente ad aliquam operationem, et non identice tantum, v. g. homo per se discurrit, ignis per se calefacit. Homini discurrenti convenit intrinsece, et essentialiter esse animal et corpus, alias homo quidditative non erit, non tamen in quarto modo per se conveniunt ad discursum, quia non discurrit animalitate vel corporeitate ut forma, et ratione discurrenti. Ignis etiam per se calefacit, et ut calefaciat debet esse substantia et corpus, et tale corpus, scilicet elementum ignitivum, et calefactivum, et hoc totum intrinsece, et essentialiter ei convenit, et in primo modo per se. Non tamen quodlibet prædicatum ex his concurrat in quarto modo per se ad igniendum, vel calefaciendum: nec enim corporeitate calefacit, vel substantialitate, sed calido licet corpus sit quod calefacit. Itaque in perseitate quarti modi per se non prædicatur forma de suo constituto formaliter, et quidditative per ipsam, sed de suo effectu tamquam id quo effectus fit ut ratione formali faciendi, et principio per se conducente ad effectum, non concomitante, aut solum identice se habente.

II. Hinc difficultatis nodus, et punctus elucescit. Processio Verbi divini est processio, et generatio substantialis, et divina per intellectum: constat quod illa cognitio qua procedit, et forma qua fœcundatur intellectus paternus ad exprimendum, et producendum Verbum est infinita, et non solum essentialiter divinæ, et attributorum, et Personarum, sed etiam creaturarum comprehensiva ob suam infinitatem, et hoc essentialiter habet, et intrinsece in primo modo per se: sed inquirimus, an ista forma, seu species, qua fœcundatur intellectus divinus ad gene-

randum, et ista cognitio, qua exprimitur Verbum, concurrat ad illud producendum formaliter formalitate quarti modi per se, secundum omnia illa objecta, etiam secundum quod attingit Personas, et creaturas; an per se formaliter in quarto modo solum concurrat cognitio aliquæ Personæ, et ipsius essentialiter: reliqua vero ibi reperta concomitanter se habeant, non formaliter in perseitate producendi Verbum, sed etiam si per impossibile non cognosceret Deus creaturas, vel talem Personam, adhuc produceretur Verbum: sicut est certum quod modo illa cognitio, qua Verbum procedit, attingit creaturas futuras, et tamen etiamsi creaturæ futuræ non essent (libere enim futuræ sunt) adhuc Verbum procederet; et sic cognitio futurorum per se in quarto modo non requiritur.

III. In hac ergo difficultate Scotus in ii, dist. i, qu. i, §. Quantum ad primum, et quodlib. xiv, §. Hic intelligendum, docet Verbum solum procedere ex vi cognitionis objecti primarii. Nomine autem objecti primarii, intelligit Scotus non solum essentialiter divinam excludendo creaturas, quæ in omnium opinione pertinent ad objectum secundarium, sed etiam excludendo Personas, quia ipse sentit in i, dist. xxvii, q. iii, Personas non esse de conceptu objecti primarii.

Fundamentum hujus sententiæ est duplex.

Primum, quo Scotus directe excludit Filium ab hac cognitione, pro illo signo quo procedit Verbum.

Secundum, ad excludendum cognitionem Patris et Spiritus sancti pro illo signo. Deducitur primum fundamentum ex eo quod ipse putat dictionem seu productionem Verbi esse actionem distinctam a cognitione, seu intellectione. In illo au-